

15
1778, 15.
**DE
CESSIONE HYPOTHECARVM
MAXIME IN
REBVS IMMOBILIBVS**

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBL. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIET. LITER. DVISBVRG.

S O C I O

I N A V D I T O R I O I V R I D I C O

DIE XII. OCTOBR. cI515CCLXXXVIII

D I S P V T A T

IOANNES IACOBVS WIEDERANDERS

LIPSIENS.

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I I



DI
CEZIONE HISTOIRE CARAVAN
MAXIME IN
HERYS TURQUIAS
ILLUSTRIS IETORYM ORDINIS GRATIA
PARISIJE
DI CHRISTIANO HENRI BRUNNING
ADDITIONES ET ALIAS OPERAS
TOMUS I
IN ACADEMICO LIBRARIO
DI XI. OCTOBRI. 1711. MDCCLXVII
DISPUTAT
JOANNES JACOBUS MIDDLETONENSIS





DE
CESSIONE HYPOTHECARVM
IN
REBVS IMMOBILIBVS.

§. I.

Sicut humana indigentia causa fuit, vt aliorum auxilio eam subleuemus; ita sane factum est, vt et is, qui alteri praefsto fuerat in auxilio praestando, ne humanitatis officio exhibito ipse in rebus suis detrimentum patetur, de sua sibi securitate seruanda sollicitus esset. Cum enim officium nemini deberet esse nocuum, curabat quiuis, vt haberet modum, per quem suum ab altero consequi posset. Varia inuenta in subsidium securitatis ergo hominum

A 2

ad-

IV

adiuuenit solertia. Fideiubendo, constituendo, pignora capiendo, stipulando, iurando et multis aliis modis sibi prospexere. De his quantum ad nostrum thema pertinet, quaedam praefari liceat, quo dein causam nostram perorare queamus.

§. II.

Duplex videtur remedium Romanis, quo per rem traditam cauebant. Vnum inuentum iuris civilis, alterum iuris gentium. Iuris civilis ratio in *contractu fiduciae* quaerebatur. Praestabatur creditor iuris civilis securitas rem tradendo, sed illa non simplici traditione constituebatur, sed rei nexae mancipazione. Haec mancipatio creditorem dominum, constituebat, at obligatum tenebat simul ad remancipandam rem, si ad diem pecunia soluebatur. Inde rei nexae periculum erat apud creditorem, qui plene dominus mancipando constitutus erat. Neque hic contractus fiduciae mancipatione solenni tantum perficiebatur; sed etiam cessione in iure facta idem effici poterat, cum cessione in iure dominium in alterum transferri posset. Testis est ISIDORVS Orig. L. V. cap. 25. *Fiducia est*, inquit, *cum res aliqua sumendas pecuniae mutuae gratia vel MANCIPATVR vel IN IVRE CEDITVR.* Recte reprobat SCHVLTINGIUS ad PAVLI Recept. Sent. L. II. Tit. XIII. §. 1. n. 1. interpretationem SALMASII de Mod. v/sur. Cap. XIII. et emendationem Capitis *Isidori*, qui verba *in iure* mutat in verbum *ignore* bruta admodum crisi et violenta.

§. III.

At hic ipse iuris civilis contractus, qui quidem teste eodem SCHVLTINGIO c. 1. et quos excitat Iac. GOTHOFFREDVM ad L. vnic. C. de commiss. rescind. et Gerh. NOODT Observ. L. II. c. 7. et 8. ad tempora Iustiniani visitatus fuisse videtur;

detur; tamen in iure Iustiniane non existit amplius. Causam, si quaeris, invenies in sublata differentia rerum mancipi et nec mancipi. Hac enim sublata cum ciuilis illa alienatio per mancipationem atque in iure cessionem diuersum haud amplius produceret effectum, neque quiritarii et bonitarii dominii diuersitas existeret, visa fuisse fiducia potius emio cui adiectum de retrouendendo pactum, quam peculiaris iuris ciuilis contractus; factum est ut iuris Iustiniane architecti, quae in scriptis ICtorum veterum inueniebantur, omitterent, neque in compilationem foro illorum temporum accommodandam transferrent. Hinc in hoc iure omissio hoc ciiali contractu, alter, qui iuris gentium fuit magis illis temporibus conueniens, videlicet *contractus pignoris* exppositus deprehenditur.

§. IV.

Huius vero Contractus pignoris causa conueniebat cum contractu fiduciae in hoc, ut creditorem securum redideret, si debitor non, ut deberet, solueret. At neque dominium transferebatur in creditorem rei in pignus datae, neque vel mancipatione, vel in iure cessione perficiebatur, sed praecedente conuentione de re in securitatem crediti danda traditione peragebatur, quae quidem traditio alienandi ius in euentum transferebat in creditorem, haud vero dominium operabatur. Observo, antiquo tempore huius contractus usum non adeo frequentem fuisse, frequentiorem fiduciae contractum, quod ex eo colligo, cum creditori, qui rei op-pignoratae possessionem amiserat, remedium persequendi amissum pignus haud in promptu esset, donec hypothecaria a Praetore inuenta actio ad pignora extenderetur. In contractu fiduciae peculiari remedio opus non erat, quippe in creditorem mancipando vel in iure cedendo dominium translatum efficiebat, ut rei vindicatione rem in fiduciam

VI

datam amissa possessione a quoconque possessore vindicare posset.

§. V.

Re ergo pignus contrahebatur, id est, perficiebatur contractus rei traditione eamque producebat in persona creditoris obligationem, ut custodiam rei in pignus datae ex officio boni patris familias sc. *cupsa leui* praestaret et nexus soluto pignoris, seu cessante principali obligatione, cuius causa pignoris contractus initus, rem saluam in securitatem traditam debitori redderet. Cum hac obligatione vero in persona creditoris coniunctum erat ius, vt, ni iusto tempore solueret principalem obligationem debitor, creditori liberet iusto vendere pretio rem in pignus eidem datam atque illius dominium traditione in emtorem transferre, vel saltem usucapiendi conditionem. Consequebatur itaque ante moram debitoris in soluenda obligatione principali creditor rei oppignoratae custodiam. Iam custodiri non minus potest res *immobilis* quam *mobilis*. Erronea itaque est eorum doctorum hominum interpretatio, qui putant in rebus *mobilibus* tantum pignus contrahi posse, *hypothecam* vero de qua mox in *immobilibus*. Quid enim faceremus cum POMPONIO in L. 6. π. de pignor. action. qui de *oppignorato fundo vendendo* agit et sic de *oppignorata re immobilis*? Quid cum PAVLO in L. 18. §. 2. et 3. π. cod. apud quem habemus fundum et *Syluam* pignori datam, et in L. 21. π. cod. *domum* pignori datam. Alia innumeraque loca haud addo.

§. VI.

Praeter fiduciae contractum et pignoratum alia fuit Romanis conuentio, cuius finis cum utroque contractu idem erat,

erat, videlicet securitas creditoris de pecunia credita. Author huius conuentio[n]is Praetor fuerat, cum edicto suo *paetum hypothecae* confirmaret. Si originem respicimus hoc paetum primum confirmatum a Praetore Seruio viderur esse circa illata a colono in fundum rusticum promissa securitate in illatis ob mercedem. Extensa vis paci postea a Praetoribus est ad illata ab inquilino atque demum ad omne pignus et hypothecam in alterius crediti securitatem. Hinc ortum paetum praetorium hypothecarum, cuius singulare, ut ex nuda promissione absque mancipacione aut traditione creditor ius in re debitoris consequeretur, cum in regula conuentio tantum ius in personam produceret. Actio itaque, quam Praetor in hanc conuentio[n]em concepit, quae primum *Seruiana*, post *quasi Seruiana*, addita demum generali appellatione *hypothecaria* appellata, in rem est concepta, videlicet, ut creditor per eam perseguatur rem nexam a quounque possessore vel ipso debitore, quo suam sibi promissam securitatem habeat, atque ni debitor soluat, illa re distracta solutionem consequatur.

§. VII.

Sicuti vero illud securitatis ius conuentione primum constitui coepit confirmato per edictum a Praetore paeto, ita postea ipsae leges certis personis in securitatem aequale in debitoris re vel bonis constitutere ius, quod vel *legitimae hypothecae* vel tacitae nomine dictum est. Accedit tertia hypothecarum species, quae a iudice vel magistratu constitui copta est, quam iudiciale voces, in effectu ab ea, quae conuentione constituta, non diuersam. Sed neque omnia, quae de hypothecis dicenda, neque singularia diversarum specierum hypothecarum caperent hae paginæ hinc

VIII

hinc de themate ipso quaedam dicamus tantum, *quid in cessione hypothecae iuris sit.*

§. VIII.

Cessio hypothecae est translatio iuris in re alterius in securitatem crediti constituti a creditore in alium creditorem facta. An vero cessio licita sit atque ex illa cessionarius ius in re obtineat obseruata distinctione adfirmandum erit. Est enim indubitati iuris, omnem pignoris et hypothecae constitutionem in se comprehendere negotium accessorium. Inde si praecedit valida obligatio, cuius adimplendae ergo alter securitatem quaerit, recte cedi posse hypothecae ius, non est dubitandum. At si vel plane nulla cessionario debetur obligatio principalis, vel ea, quam sibi adserit, inutilia, frustra fieret cessio hypothecae et sic illicita foret. Diximus, cessionem fieri, si cessionario competat valida obligatio principalis. Haec limitata ratione intelligenda sunt. Si enim finges, Sempronio creditori Titium debere ducenta sub hypothecae nexu: eundem Titium Caio debere ex chyrographo ducenta. Quid? si Titius soluit Sempronio creditori debitum ducentorum, qui Caio cesserat ius hypothecarium in sui crediti securitatem sibi constitutum, nihil sane actuū esse videtur. Plus enim iuris transferre non poterat, quam habebat Sempronius, cuius ius securitatis ipso iure expirabat, simulac solutio crediti a debitore praestita. Neque si contentiente debitore Caio translatio hypothecae facta esset, validam efficiebat cessionem, quippe potius novae hypothecae constitutione opus erat, cum alia esset principalis obligatio, quam ea, cuius causa constituta esset hypotheca. Constat enim, cessionem tantum transferre prioris creditoris ius, quod expirat soluto hypothecae nexu, ut nullum produceret effectum cessio.

§. IX.

§. IX.

Quid vero sentiamus, si alter chyrographarius debitor impeditre veller, quo minus soluto prioris debitoris hypothecarii nexus, ipsum hypothecae ius expiret, eamque ob causam maxime si a iudice confirmata hypotheca, contra illius cassationem prouocaret. Frustranea et plane inutilis illa prouocatio, vt omnino reiicienda. Prouoco ad *ius offerendi* in hac pignoris materia notum. Constat enim chyrographarium debitorem, licet hypothecario creditori creditum offerat, tamen in suo credito chyrographario nihil oblationem factam prodeesse. Concludo multo minus oblatione non facta chyrographarium exigere posse hypothecae cessionem, quae soluto debito ipsa natura cessat, vt iudeo in ea expungenda de iure impediri non possit, cum causa hypothecae solutione cessat. Nouam ergo a suo debitore conuentione quaerat hypothecam, vel actione contra eum instituta ius in re quaerat per iudicatum atque peractam executionem.

§. X.

Cessio itaque hypothecae tantum extabit, si hypothecario creditori ab eo, qui sibi cedi cupit hypothecam satisfiat solutione, ea tamen conditione vt pignus seu hypotheca cedatur. Patet ex Rescripto SEVERI ET ANTONINI AA. in L. 1. C. de his qui in prior. cred. loc. succed. Verba Rescripti sunt: *Non omni modo succedunt in locum hypothecarii creditoris hi, quorum pecunia ad creditorem transit. Hoc enim tunc obseruatur, cum is, qui pecuniam postea dat; sub hoc paſto credat, ut idem pignus ei obligetur, et in locum eius succedat.* Neque quidquam interest, an debitori pecuniam credat, quo hypothecarium debitum soluendum, an inscio debitorum

B

re

re soluat offerendo creditori ea lege, ut pignus in eum transferat.

§. XI.

Oritur vero quæstio: *an, si cessio hypothecæ fieri debet, debitoris consensus simul requiratur.* De iure communi si decidenda veniat causa, omnino non videtur opus esse, ut debitoris consensus requiratur, cum cessio differat a delegatione, in delegatione vero consensus debitoris requiratur, in cessione vero subtili iure cedentis quasi procurator, at in suam rem, fiat cessionarius. Et quamvis in cessa hypotheca soleat creditori offerre solutionem cessionarius, ut nullum ius supereesse priori creditori possit, quare etiam forsitan forum in omni cessione teste SCHILTERO in *Exercit. ad Pandect. XXX. f. 64.* neglecta ratione, quae olim ex formularia solennitate desumpta, post cessionem factam ius nullum penes cedentem remanere statuit; tamen debitoris consensum, nisi animo nouandi cessio fiat ex partium arbitrio, necessarium haud existimet, quippe cessionarius plus iuris a cedente in cuius locum succedit haud obtinet, quam ipse cedens habuit, ut cedendo cesso debitori, si ignoret cessionem factam nisi in potentiore translatio facta sit, quae lege improbatur, iniuria haud fiat.

§. XII.

Cessio vero vel fieri potest conventione inter priorem creditorem et qui in eius locum succedit, sive id contingat ex iure offerendi, sive quod titulo liberali principalis obligatio cum accessoria simul translatâ sit in cessionarium. Vel fieri potest in iure seu confirmante eam magistratu. Et cum translatio hypothecæ, quae consentiente magistratu facta

facta hypothecam constituit iudicialem, haec preferenda hypothecae conuentionali cessioni, sicut iudicialis seu publica semper preferenda conuentionali. Ex veteri ergo Saxonico iure, quo non omnis conuentionali hypothecae effectus negabatur, sed in concursu creditorum chyrographariis anteferenda, fieri quoque poterat cessio hypothecae extra iudicium, sed conuentionalis tantum. At novo iure Electorali ex ORDIN. RECOGN. Process. Sax. ad T. XLVI. cum plane conuentionales hypothecae in immobilibus abolitae, nunquam cessio hypothecae nuda conuentione recte fiet, sed translatio autore magistratu transcribenda erit. In feudalibus ex MANDATO Elect. in hanc rem emiso de An. 1614. et DECIS. ELECT. XXVIII. et XL. et in allodialibus in ORD. RECOGN. ad Tit. XLVI. §. 2. apperte haec sententia probatur.

§. XIII.

Sicuti vero fieri potest translatio hypothecae per conventionem, ita contingere potest, ut cessio hypothecae cum principali obligatione per ultimam voluntatem titulo videlicet legati fiat. Quare quaeritur, an quod communii iure haud requiritur, nostro iure autoritas magistratus exigetur. Si BERGERVM in Oecon. Iur. L. II. Tit. V. th. X. n. 3. sequimur, haec, quae per ultimam voluntatem fit cessio, non eget confirmationem, quod tamen in constituta hypotheca per ultimam voluntatem non omnino adfirmem, si eandem cui legauerit testator in securitatem crediti, quod vel heres vel aliis debebat, tunc putem confirmationem omnino accedere debere.

B 2

§. XIV.

§. XIV.

Tandem adhuc id videtur esse monendum, translationem hypothecae, et si in immobili confirmetur a iudice tamen haud nouam constitutere hypothecam, sed manere eandem, quae ante cessionem fuerat, mutata saltē persona creditoris. Consequimur inde, si debitor hypothecarius cedit bonis vel eo mortuo oriatur concursus creditorum, creditor ille, cui cessa est hypotheca in sententia non ex eo tempore, quo ipsi cessa est hypotheca locum obtinebit, sed obtrineat necesse sit ex tempore, quo hypotheca cessa primum constituta fuit. Id enim est, quod dicunt leges, succedere in locum prioris creditoris primi. Et hoc eo magis verum, cum prior hypotheca non expungitur, sed saltē transscribitur. Aliter vero res erit comparata, si Titio competet hypotheca in fundo Caii, ea vero soluto debito expungeretur, at ex alio debito Sempronio noua confirmaretur hypotheca, facile patet, quia non inferredit prioris hypothecae cessio, sed nouae constitutio, Sempronium in eo ordine, si concursus creditorum oriatur esse ponendum, ex tempore confirmatae hypothecae, licet antiquius sit debitum, non vero ex tempore prioris hypothecae, quae cum solutione extincta fuerat, cedi amplius non poterat.





TAZOL

V₁
18

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



3
1778, 15.
**DE
CESSIONE HYPOTHECARVM
MAXIME IN
REBVS IMMOBILIBVS**

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

P R A E S I D E

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBL. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIET. LITER. DVISBVRG.

S O C I O

I N A V D I T O R I O I V R I D I C O

DIE XII. OCTOBR. cIoiocclxxviii

D I S P V T A T

IOANNES IACOBVS WIEDERANDERS

LIPSIENS.

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I I

